

Prob. secunda pars, quod nimirum aliquando tenetur ex caritate conjux innocens conjugem adulterum, sed poenitentem retinere. Debet enim maritus uxoris saluti, quantum potest, consulere; (Idem afferendum de uxore erga maritum: ) atqui ipsius saluti ut consulat, aliquando necesse est adulteram conjugem non dimittere: si, v. g. periculum sit ne ejecta mulier in desperationem, propter infortunium sibi dedecus, incidat; vel ne egestate, aut alia quolibet impellente causa, in nova sese concipiat adulteria; ergo tunc ex officio caritatis tenetur maritus eam retinere: *Postquam enim Christus, ait Augustinus: dixit adultera: nec ego te condemnabo; vade, deinceps noli peccare; quis non intelligat debere ignoscere maritum, quod videt ignovisse Dominum, nec jam se debere adulteram dicere, cujus poenitentis crimen divinam credit miseratione deletum?* ( *Lib. 2. de adult. conjugii, tom. 6. cap. 6. pag. 407.* )

Resp. 2<sup>o</sup>. Si vero uxor in adulterio contumaciter hæreat, & crimen manifestum sit, tenetur maritus eam dimittere, ne tanto crimini consensum dare cum scandalo videatur: quod nunquam licitum est. Si crimen occultum sit, debet maritus uxorem saltem à thori societate repellere; alioqui fieret ejus peccati conscius, ipsiusque saluti nimiam indulgentiam noceret, nedum consuleret.

Quæres 3<sup>o</sup>. an conjugum separatio quoad thorum privatâ ipsorum autoritate fieri possit.

Resp. separationem quoad thorum fieri posse, non expectatâ Judicis sententiâ. Jure enim naturali licitum est innocenti, debitum conjugale ei non reddere, qui fidem nuptialem adulterio violavit; ita S. Thomas. ( *In 4. dist. 35. art. 1. in corp.* ) Ad illud vero non sufficit mera criminis suspicio, sed requiritur certitudo moralis. ( *Ibid. ad 4. & lib. 2. Decretal. tit. 23. cap. 12.* )

## DISSERTATIO V.

### De impedimentis Matrimonii.

**O**BSERVANDUM est 1<sup>o</sup>. Matrimonii impedimenta, alia dici *prohibitentia* quæ illicitum, alia *dirimentia* quæ non illicitum duntaxat, sed etiam irritum faciunt Matrimonium; non quod semel ratum & validum dissolvant: Matrimonium enim ex jure divino indissolubile est; sed quod impediunt ne ratum sit & validum.

Observandum 2<sup>o</sup>. Reges & Principes Christianos jure sibi proprio posse impedimenta constituere, quæ civilem Matrimonii contractum dirimant. 1<sup>o</sup>. Quia Principes Christiani possunt quidquid possunt principes Ethnici; siquidem Baptismus & fides Principum suos in subditos potestatem non imminuunt: atqui possunt Ethnici Principes jure sibi proprio impedimenta constituere quæ civilem Matrimonii contractum dirimant; ergo, &c.

2<sup>o</sup>. Eadem pollet autoritate Princeps in Matrimonium, quatenus est contractus civilis, quâ in alios contractus, venditionis, emptionis, locationis, & ceteros similes: atqui Princeps, prout bonum societatis exigit, potest aliis contractibus conditiones apponere, quibus omisissis, vel illiciti fiant, vel etiam invalidi; ergo, &c.

3<sup>o</sup>. Jure sibi proprio id possunt Principes, quod ad commune Reipublicæ bonum necessarium est; ad illud enim potissimum instituta fuit regia potestas: atqui postulat aliquando totius Reipublicæ bonum, ut statuantur impedimenta quæ civilem Matrimonii contractum faciunt irritum; ergo, &c.



Observandum 3<sup>o</sup>. posse Ecclesiam impedimenta Matrimonium dirimentia instituire: sic enim à Concilio Tridentino definitum est: *Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.* (Sess. 24. de Matrim. can. 4.) Et verò in eam rem si nihil juris esset Ecclesiæ, cum huiusmodi impedimenta appofuit, procul dubio reclamassent Principes Christiani: atqui tamen, nedum aliquando reclamaverint, ea perlibenter admiserunt: quinimò ut ab Ecclesia inducerentur interdum postularunt. Quis enim nesciat Carolum IX, v. g. Galliæ Regem, per Oratores suos apud Tridentinam Synodum egisse, ut irrita declararet Matrimonia filiorumfamilias sine parentum consensu contracta?

De illius potestatis ecclesiastica origine, naturâ & objecto non leviter disputant Theologi & Jurisperiti; cum autem hæc controversia nihil vel parùm utilitatis in praxi habeat, eâ prætermittâ, ad ipsorum impedimentorum expositionem, quorum cognitio longè utilior est, properamus. Quæ circa materiam hanc erunt præcipua, quatuor in capitibus explanabimus; primum erit de prohibentibus; secundum, de dirimentibus impedimentiis; tertium, de dispensatione circa Matrimonii impedimenta; quartum de modo quo se gerere debeant Confessarii vel Parochi cum iis quos impedimento dirimente constringit animadvertunt.



## CAPUT PRIMUM.

## De impedimentis Matrimonii quæ dicuntur prohibentia.

**I**MPEDIMENTA prohibentia quatuor sunt hoc versiculo expressa:

Ecclesiæ vetitum, tempus, sponsalia, vetum.

Quibus addi potest fidei sive doctrinæ diversitas, si nempe alter conjugum sit non quidem infidelis, quod est impedimentum dirimens; sed Hæreticus: alter verò Catholicus.

*Ecclesiæ vetitum* est prohibitio ab Episcopo vel Parocho facta nubere volentibus, ne Matrimonium contrahant. Id præsertim locum habet, cum de nupturis suspicio est, ne quo laborent impedimento: tunc enim ad Episcopum vel Parochum pertinet nuptiarum dilationem decernere, donec res comperita fuerit. Quod si, spreto Superioris mandato, nuptias accelerent, graviter quidem peccabunt; sed eam ob causam non dissolvitur Matrimonium, nisi in iis deprehensum fuerit aliquod impedimentum dirimens.

*Tempus* de quo hic agitur, illud est per quod ne celebrentur nuptiæ vetat Ecclesia: *Ab Adventu Domini*, ait Concilium Tridentinum, *usque ad diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum, usque in octavam Paschatis inclusivè, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari Sancta Synodus præcipit.* (Sess. 24. de reform. matr. 10.) Scilicet congruum non visum est Ecclesiæ, ut quibus diebus debent Christiani animas suas affligere, nuptiarum occasione indul-



geant convivii, aliisque lætitiæ signis, sine quibus optendum esset ut fideles suas nuptias semper celebrarent.

Votum quod obstat ne licita sit nuptiarum celebratio, est simplex promissio Deo facta, vel continentiæ in sæculo servandæ, vel Religionem aliquam profitendi, vel Ordinem sacrum recipiendi. Hujusmodi votum illicitum quidem facit Matrimonium, quia nefas est fidem Deo datam violare; sed contractum non dirimit, ut jure canonico statuitur.

*Sponsalia* cum aliquo legitimè contracta, nisi juridicè dissoluta fuerint, illicitum faciunt cum altero Matrimonium, quia non licet datam alicui fidem frangere; contractum verò non dirimunt, quia fortius est nuptiarum, quàm sponsalium vinculum, ut alibi dicturi sumus.

Nunc superest ut exponamus quid sentiendum sit de Catholicorum cum Hæreticis Matrimonio; qua de re fit

#### PROPOSITIO I.

*Matrimonia Catholicorum cum Hæreticis sunt quidem valida, sed prohibita.*

Probatur prima pars. Illa Matrimonia sunt valida quæ nec divino, nec ecclesiastico, nec civili jure declarantur irrita: atqui Matrimonia Catholicorum cum Hæreticis, nec, &c. Non quidem jure divino; licet enim hæc conjugia Deus non semel prohibuerit, nullibi tamen ea ita vetat, ut pro irritis haberi velit: non etiam jure ecclesiastico vel civili, cum neutrius proferri queat decretum generale, quo eadem Matrimonia declarentur nulla; imò ex jure canonico apertè colligitur valere hujusmodi conjugia; siquidem ex tot Canonibus qui illa prohibuerunt, nullus conjuges à quibus contrahuntur, à se invicem divelli jussit; ergo, &c.

Prob. secunda pars. Vetat Scriptura ne quis peccandi periculum spontè adeat: *Qui amat periculum, in illo peribit*: (Eccli. 3. 27.) atqui Catholicorum cum Hæreticis Matrimonia, eos variis peccandi periculis obijciunt. Et 1º. quidem periculo fidei amittendæ; sermo quippè Hæretici propter intimam & perpetuam, quæ ex conjugio nascitur societatem, in animam facilius serpit & admittitur: *Sæpe illecebra mulieris*, inquit S. Ambrosius, *decepit etiam fortiores maritos, & à Religione fecit discedere.* (Lib. 1. de Abraham, cap. 9. n. 84. t. 1. pag. 309.) *Quis dubitet, ait Tertullianus, obliterari quotidie fidem commercio infidelis?* (Lib. 2. ad uxorem, cap. 3. pag. 168.) 2º. Periculo pravæ educationis liberorum: hos enim sibi eripi ægrè patitur pars hæretica. Neminem latet filios plerumque malos parentum mores æmulari, & rarò contingere ut ab errore quem cum nutricis lacte imbiberint, ad veritatem revocentur. 3º. Periculo rixarum & contentionum, quæ nunquam acerbiores sunt & diuturniores, quàm ubi de Religione agitur; iis addi debet certa Sacramenti profanatio, si matrimonii Sacramentum Hæreticus suscipiat; ergo, &c.

Præterea legibus ecclesiasticis prohibita sunt hujusmodi conjugia. Sic, v. g. statuit Concilium Chalcedonense Œcumenicum: *Neque copulari debet nuptura Hæretico, aut Judæo, vel Pagano, nisi fortè... promittat se ad orthodoxam fidem transferre.* (Añ. 15. can. 14. tom. 4. Concil. pag. 776.) Idem vetant aliæ complures Synodi.

#### PROPOSITIO II.

*Catholicorum cum Hæreticis Matrimonia non ita sunt prohibita, ut nunquam possint ex dispensatione permitti.*

Probatur 1º. argumento à simili. Eadem est



ratio conjugiorum cum infidelibus & cum hæreticis, quoad periculum subversionis in fide, pravæ educationis, & discordiarum inter conjuges: atqui tamen videmus quædam, ipso permittente Deo, ac proinde licite, inita à Judæis cum infidelibus Matrimonia. Ut enim silentio prætermittam conjugium Jacob cum filiabus Laban idololatrarum, certum est nupsisse Esther Assuero Regi infideli, & quidem ex Mardochei, sanctissimi viri, consilio; certum ex est S. Lucæ Eunice matrem Timothei fidelem quam laudat Paulus, virum habuisse infidelem; (*Act. Apost. 16. 2. Tim. 1. 5.*) certum est sanctam Cloridiam nupsisse Clodovæo ad fidem nondum converso: alia multa id genus exempla occurrunt; ergo, &c.

Prob. 2<sup>o</sup>. ex Conciliis quæ iisdem in locis in quibus ea conjugia prohibent, hæc tamen aliquando permittit posse supponunt. Laodicense ait *Non oportere eos qui sunt Ecclesiæ, indiscriminatim filios suos Matrimonio conjungere cum Hæreticis*, ut vertit G. Heryet. (*Can. 10. tom. 1. Concil. pag. 1498.*) Id ergo licet cum quibusdam, & adhibita prudenti cautione. Concilium Chalcedonense supra laudatum prohibet fidelis cum hæretico Matrimonium, *nisi forte promittat ad orthodoxam fidem se transferre*. Idem legitur in Synodo Agathensi an. 506. (*Tom. 4. Conc. pag. 1394.*) Atqui hic permittuntur Catholicorum cum Hæreticis conjugia; aliud enim est conversionem suam spondere, & aliud reverà conversum esse.

Probatur 3<sup>o</sup>. Ex concessis quibusdam in ea re dispensationibus: duæ sunt maximè solemnes; prima à Clemente VIII data an. 1602 Duci Bariensi Catholico, ut duceret Catharinam Henrici IV Francorum Regis sororem, Calvinianâ tinctam fuligine; secunda quam concessit anno 1625 Urbanus VIII, Henricæ Ludovici XIII forori Catholicæ, ut Carolo I Anglorum Regi Lutheranæ nuberet: atqui temerarium saltem esset,

istas dispensationes ut illicitas & irritas habere, quasi potestatis suæ limites transgressissent, qui eas concessere Summi Pontifices; habita est enim eâ de re sub Clemente VIII Congregatio, in quâ variis exemplis probatum est, similes antea concessas esse à Gregorio XIII, promovente S. Carolo Borromæo. Præterea innumera fuerunt in Gallia nostra catholicos inter & hæreticos Matrimonia publicè contracta, quo tempore Calvinistis committi eramus; & tamen adversus ejusmodi conjugia nusquam reclamatum est in Ecclesia.

Obj. 1<sup>o</sup>. intimam utriusque conjugis societatem mutuumque amorem efficere, ut periculum fidei amittendæ, & pravæ educationis liberorum, si nascantur, nunquam possit ab hæreticorum cum catholicis Matrimonio disjungi; 2<sup>o</sup>. licet removerentur pericula hæc omnia, non posse in hujusmodi conjugii non esse irreverentiam & profanationem Sacramenti quod ab hæretico suscipitur.

Sed argumenta hæc, quamvis gravia, non tamen sunt planè invicta. 1<sup>o</sup>. Enim esto faciat utriusque conjugis amor & individua societas, ut difficile ab iis connubiis depellantur pericula subversionis in fide, pravæ educationis liberorum discordiarum & contentionum, non tamen efficit ut absolute removeri non possint hujusmodi pericula. Sunt enim homines, quibus nihil minus cordi est, quàm Religionis diversitas, & qui inter contrahendum liberam ultro faciunt conjugii potestatem sentiendi ut ipsi liberit, & qui solius communis convictus & societatis desiderio ducuntur.

2<sup>o</sup>. Fatendum est Matrimonii Sacramentum homini hæretico nunquam concedendum esse, ideoque oportere ut catholicorum cum hæreticis conjugia, non Sacerdotis benedictis manu, sed contrahentium ignis & verbis perficiantur. Eo modo celebratum Parisiis dicitur anno 1625, connubium Henricæ Borbonicæ cum Carolo I



Angelorum Rege. Cardinalis de la Rochefoucault Missam celebravit coram Henricia sola & Regni Proceribus, & consuetam benedicendi formulam de industria omisit, quam nec recitare potuisset; siquidem sacrificio non intererat Procurator Regis Angliæ: iste enim post significatam Regis sui nomine per verba de *præsenti* voluntatem, Henriciam in conjugem accipiendi, in palatium episcopale sese receperat. Quâ de re legi potest historia ministerii Cardinalis de Richelieu, ad annum 1625.

Quæres quænam conditiones licitum faciant catholicorum cum hæreticis Matrimonium.

Resp. licitum esse, si pars Catholica justam habitura sit facultatem omnibus Religionis officiis fungendi; si nullum sit subversionis in fide periculum prudenter timidum; si nullum in contrahendo scandalum occurrat; si in bonum commune cedat; si petita & concessa fuerit à legibus ecclesiasticis immunitas; si liberorum in fide catholica institutioni satis provisum fuerit; unde illcita sunt Matrimonia cum Hæreticis eâ lege contracta, ut masculi in patris, & puellæ in matris Religione educantur.

## CAPUT II.

### De impedimentis Matrimonium dirimentibus.

QUINDECIM numerantur impedimenta dirimentia quæ istis versiculis continentur:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,  
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,  
Mens, affinis, si clandestinus, & impositus;  
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto;  
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

De errore satis dictum fuit, (*Dissert. I. cap. 4. art. I.*) ubi ostendimus errorem qui circa personam versatur, Matrimonium dirimere, ut si Petrus, v. g. vellet *Catharinam* ducere uxorem, cujus loco substituta fuit *Agnes*. Ratio est quod hujusmodi error consensum penitus tollat; nedum enim velit Petrus cum Agnete Matrimonium contrahere, de eâ nequidem cogitat.

*Conditionis* nomine hic intelligitur status servitutis; undè fit ut aliquis sub Domini potestate ita sit constitutus, ut ab eo vendi possit. Ex jure canonico, si persona libera illius cui nupsit servitutem ignoraverit, irritum fit Matrimonium; si verò sponsus liber servilem alterius conditionem, ante contractum Matrimonium noverit, tunc ratum validumque est conjugium. De conditionis impedimento plura dicere supervacaneum esset, quia status servilis in Galliâ nostrâ locum non habet.

Nunc superest ut de aliis impedimentis dirimentibus novem in articulis differamus.

## ARTICULUS PRIMUS.

### De impedimento voti.

Agitur hic de voto castitatis servandæ aut Religionis suscipiendæ. Duplex distinguitur: aliud simplex quod absque solemnioribus ceremoniis Deum inter & voventem emittitur; aliud autem solemne quod fit in Religione approbata, per solemnem illius professionem. Prius esse impedimentum prohibens duntaxat, superiori capite ostendimus; posterius autem votum contractas, postquam emissum fuit, nuptias dirimere sic definit Concilium Tridentinum: *Si quis dixerit ... Regulares, castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante ... voto, ... anathema sit.* (*Sess. 24. de*